

num cultum non pertinere ius ecclesiasticum; cultum Dei
 externum humani esse arbitrii; regimen ecclesiae partem
 esse ciuilis imperii; illius imperii nullas iure diuino positiuo
 definitas esse partes; iure Pontificio nos vti, etiam quod ad
 capita nonnulla liquido a nobis repudiata, et quae sunt reli-
 qua. Ipse KIPPINGIVS retulit ecclesiae rationes non tam
 ad huius seculi commoda, quam ad aeternam salutem.
 Mentem suam pluribus aperuit verbis in praefatione adiecta
Prolusionibus Iuris ecclesiastici recte constituendi, dignissimis,
 quae legantur, ad quam praefationem BENEVOLVM LE-
 CTOREM remitto. Quae vero, qualis quantaque in KIP-
 PINGIO nostro fuerit Iuris ecclesiastici peritia liquido euin-
 cit hoc multa cum diligentia elaboratum, limatum et omni-
 bus numeris absolutum *syntagma*, in quo vis ingenii sui su-
 pereminet, et ita sentiunt, qui mecum doctrinae gustum et
 sensum habent, et qui talia pretiis suis possunt arbitrari. Ipse
 vero b. Auctor edendo huic operi immortuus est. Vir plur.
 reuer. CHRYSANDER ideo ea, quae KIPPINGIVS ma-
 nu sua scripta reliquerat, typis commis it. Et alia nonnulla
 publici iuris fecit scripta b. auctor, quorum in Programma-
 te funebri, nomine Academiae Helmstadiensis scripto, fit
 mentio. Mors KIPPINGIVM oppressit a. d. 2. Februar.
 MDCCXLVII. si aetatem spectes, nec matura fatis; si vero
 utilitatem, quam et communis academie et orbis litterati
 ratio exigeret, praecox et festinata. Vxorem duxerat
 CHRISTIANAM CAROLINAM, celeber. ALBERTI IVN-
 GII Serenissimo Marchioni Brandenburgo-Anspacensi olim
 a Consiliis camerae et prouinciae, filiam. Quae omnibus
 sexus sui ornamentis decorata, forma quoque et corpo-
 ris venustate commendatissima, numerosa prole eum fe-
 cit parentem, et ex qua vidit filium, nempe IO. GEOR-
 GIUM ALBERTVM, nunc Medicinae Doctorem cele-
 berri-